DE VENTRICULI CARCINOMATE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
VENIA ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA
AD SUMMOS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE ADIPISCENDOS SCRIPSIT
ET DIE V. M. MART. A. MDCCCLIII
UNA CUM THESIBUS PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
HENRICUS GUSTAVUS DOBBERKAU
PALAEOMARCHICUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT
O. GUERIKE, MED. ET CHIR. CAND.
H. WINKLER, MED. ET CHIR. CAND.

HALIS SAXONUM
TYPIS EXPRESSUM GEBAUERIO - SCHWETSCHKIANIS.

Carcinoma ventriculi (Scirrhus ventriculi, induratio ventriculi scirrhosa, gastrostenosis scirrhosa) omnibus fere ex antiquissima aetate temporibus tanta frequentia exstitit eamque prae se tulit malignam et pestiferam indolem, ut medici his rebus adducti illi affectioni diligentius animum adverterent in eaque perscrutanda vel maxime elaborarent. Itaque per longum temporis intervallum enixe operam dederunt, ut certum aliquod et stabile ejus remedium investigarent, donec multis frustra tentatis nihil ista via se proficere posse intelligerent.

Cum igitur appareat istud malum cum praecipue perniciosum esse, tum mederi cupientibus ingentes objicere difficultates, hoc loco, id quod profecto operae pretium videtur, mihi liceat imaginem quandam hujus morbi accuratius adumbrare ejusque exemplum proponere, quo declaretur, quam occultus ille nonnunquam per totum decursum usque ad lethalem exitum delitescat, priusquam contigerit, ut ejus praesentia et natura cognoscatur.

§. I. SYMPTOMATA.

a. EXTERNA AEGROTI SPECIES.

Ineunte carcinomatis evolutione in externo aegroti habitu haud quaquam conspicue quidem vel magnae mutationes animadvertuntur: praeterquam quod facies pristino et naturali colore dissipato speciem lutulentam, luridam et in subflavum colorem micantem in-

duit; quae tamen species, longius progediente evolutione, in colorem transit magis lutulente flavescentem vel stramenti similem, flave subfuscum vel e flavo viridescentem, quem non solum in facie, verum etiam per universum corporis ambitum et in reliquis quidem partibus multo etiam melius et commodius cognoscere in promptu est, quandoquidem facies tempestatis potentiae et mutationi obnoxia est eamque ob rem colorem saepius immutare solet. Praeterea cutis rigescit et exsiccatur, simulque aucta macie languescit. Etenim ista macies, quam ex impedita nutritione oriri necesse est, cum malo ceterisque ejus symptomatis augescentibus rectam relationem habet. Postremo maximum et altissimum vehementiae gradum consequitur efficitque, ut aegrotus, nisi jam prius haemorrhagia orta finem molestiarum invenerit, tanquam ossa prope nudata praebere videatur. Quae macies eo luculentius sub oculorum adspectus subjicitur, eoque magis ad indolem istius morbi designandam pertinet, quo aegrotus antea robustior et opimior fuit; nempe haud scio an in nulla alia chronica affectione eadem celeritate ad tantum gradum et fastigium crescere possit. — Praecipue facies propterea quod adiposa substantia vehementer evanescit, multas plicas ostendit et indolem turbulentam et patientem induit; oculus collapsus, albuginea lutulente flava, venis injectis. — Eodem tempore aegroti, ut jam ex eorum vultu conjecturam feceris, variis animi molestiis, aerumnis depressionibus implicantur, nocturna quies saepenumero anxiis et horrendis somniis conturbatur, usque eo, ut etiam perfecta insomnia nascatur (Krieg); quae conditiones haud scio an plurimum ad omnes secretiones, et cutis et renum similiumque partium impediendas conferunt.

Haec igitur afferre oportuit, quae habitum carcinomatosum eum praebent, qui magis minusve in omni carcinomatis specie deprehendatur. Praeterea alia ejusdem generis animadvertere licet, cum praesertim

carcinoma jam longe progressum et evolutum est; quo in numero inprimis recensere attinet anasarcam, oedema inferiorum extremitatum et faciei, quin etiam hydropem universalem, quae symptomata, si conjectura valde probabili utendum videtur, saepenumero ex illa pressione pendent, quam tumor in primarios vasorum truncos (in venam cavam ascendentem) vel in finitima organa (hepar) exercere soleat. — Eructatio putrida ac foetida extremo mali tempore plerumque animadvertitur.

b. CONDITIO ORGANORUM GASTRICORUM.

Hoc malo ineunte symptomata paene cum chronica gastritide conveniunt; quae res praecipue in diagnosi instituenda gravissima videtur. Aegroti molestam se in regione epigastrica pressionem sentire conqueruntur; praecipue comeso cibo graviorem incommoditatem et plenitudinem et ardorem sensu percipiunt, tum vero crebram et plerumque acidam habent eructationem. Eo tempore lingua pura, raro acriorem quam vulgo ruborem exhibet, aut papillae vehementius prominent. Secretio salivae sympathica glandularum salvialium irritatione aucta est, inde aquea sputa, jejuno praesertim stomacho: indidem vomitus liquoris mucosi et fila trahentis matutino tempore vulgaris originem ducit, ut quidem ill. Frerichs (Haesers Arch. Bd. IV. p. 175 sqq.) rectis argumentis demonstravit; verumtamen iste vomitus non magis carcinomatis ventriculi proprius est, quam sanguinis vomitio, cujus infra mentionem faciemus. Cibi appetitus in hac morbi periodo nullas singulares abnormitates praebet. At alvi egestio inde ab initio mirifice tarda, saepe per plurium dierum intervallum obstructa.

Longius procedente carcinomate symptomata valde inter se differunt, prout malum in cardia vel in pyloro vel, id quod perraro accidit, in alia ventriculi parte insedit.

In cardiae carcinomate aegroti breviore vel longiore tempore postquam illa symptomata, quae modo demonstravimas, exstiterunt, frustis in vescendo demissis simulatque in ventriculum introeant impedimentum mechanicum obsistere sentiunt; ita plane quasi esca in regione sterno subjecta ad tempus resideret, donec illud impedimentum superatum esset. Hac in periodo cibi appetitus haud raro augeri solet eoque vehementius miserum hominem torquet, quod is doloribus acerrimis impedita deglutitione concitatis illi commode satisfacere prohibetur. — Lingua per universum morbi decursum pristinam puritatem non videtur exuere, nisi interdum acrius rubescit vel rimosa fit et dispersis locis ab epitelio nudatur. Molestia in cibis deglutiendis exorta haud ita multo post crescit; solidiora alimenta jam aegre tantum, acerrima contentione et anxietate, qua aegrotus sudorem fundere cogitur, postremo nullo omnino modo demittuntur, sed rursus evomuntur vel ut rectius dixerim regurgitantur, cum preli abdominalis in hac actione pars et functio perexigua sit. Interdum cibi ad tempus in oesophago delitescunt ($^1/_4$ — $^1/_2$ horam), quam rem ex ejus dilatatione repetere attinet; exinde propemodum nullo modo mutati, primo tantum cum aliqua parte succi gastrici acidi, postea cum substantia caseo simili vel cum exilioribus sanguinis massis mixti revertuntur. Denique tempus incidit, quo cardia deposito carcinomatoso adeo occluditur, ut ne fluida quidem in ventriculum pervenire queant, quo fit ut aegrotus absumptis omnibus viribus acerrimo ciborum et potionum desiderio fame misere conficiatur.

Sin autem, antequam introitus ventriculi prorsus claudatur, carcinoma emolliri incipit, eructatio illa, quam paullo ante significavimus, putrida et foetida nascitur; vomitus non solum inter vescendum et confecta coena, verum etiam sua sponte exoritur, eoque massae faecibus coffeae similes, colore chocolateo in-

fectae aut merus sanguis exinaniniuntur. Ista vomiti species obscura, quemadmodum perscrutationibus microscopicis et chemicis repertum est (Lassaigne), e mutato sanguine originem ducit, qui e vasis emollito carcinomate affectis proficiscitur. Hunc vomitum etiam in aliis morbis occurrere Andral et Charel demonstraverunt.

Haud raro in locum egestionis alvi usque eo obstructae profluvia succedunt vomito similia et obscure colorata, ut aegrotus accedente febri hectica, cum nonnunquam etiam hydrops vel tumores carcinomatosi in aliis organis nascerentur, universali marasmo conficiatur.

In carcinomate pylori präcipue per longum temporis spatium, saepe plures annos, prius quam malum indolem malignam capiat, omnis generis turbae in digestione reperiuntur, quales supra adumbravimus: pyrosis, acida aucta, matutino tempore aquae vomitus, molestia et plenitudo post coenam, crebra eructatio, tarda et prava digestio, segnis alvi ductio, interdum, etiam profluvium. Appetitus cibi hic jam mature deficere solet; lingua plerumque normalem speciem retinet. — Postquam haec symptomata, conditione ad tempus levata aut depravata, id quod vulgo cum victu et diaeta aegroti cohaeret, brevius aut longius per tempus perseveraverunt, gradatim majorem vim et vehementiam capere coeperunt. Dolor, qui aliquando coenam consecutus est, jam continuatur et acrior fit, usque eo ut postremo diu permaneat; aegrotus incipit cibos comestos rursus vomitu ejicere, praesertim si solidi et difficiles ad digerendum sunt. Ista vomitio ab ea quam in cardiali carcinomate exposuimus, ita differt, ut musculis abdominis et diaphragmate spastice cooperantibus exsistat. Massa vomitu ejecta, cum vulgo aliquantum temporis in ventriculo resideat (2—3 horas) plerumque dimidia ex parte concocta, cum muco mixta et crebro tam acida est, ut dentes afficiat,

argentum nigrum, cuprum viride reddat; sanguis quidem raro in eo deprehenditur. Nonnunquam ventriculus mirificam adversos certos cibos antipathiam praebet: ut faciles digistu extrudantur, cum quos alias concoquere difficile est, hoc loco exiguas modo molestias concitent.

E dilatatione ventriculi saepe animadversa (quam languore et minuta vitalitate membranarum ventriculi effici probabile est) solet accidere, ut escae crebro nonnullis demum diebus interjectis indigestae ampplioribus massis rursus ejiciantur, praesertim in hominibus minus ad irritationem pronis.

Plerumque tamen vomitus extremo morbi tempore regularem conditionem obtinet et comestis omnibus cibis et potionibus exsistit, eoque non haec modo, sed etiam massae mucosae, flocceae, caseosae, haud raro aliquantum sanguinis egeritur. Iste sanguis emollito carcinomate, cum vomitus etiam sua sponte, nullis alimentis ingestis concitatur, maximam partem massarum nigricantium, obscure fuscarum, faecibus coffeae similium efficit, quae hoc loco multo ampliores, quam in carcinomate cardiae expelluntur, neque raro adeo invalescit, ut verae haemorrhagiae, quemadmodum aliis tumoribus carcinomatosis emollitis nascantur, quae saepe magna celeritate hominem conficiunt. Causam istarum sanguinationum repetere attinet e corrosione parietum vasorum emollitione effecta, et quidem eorum vasorum, quae partim in substantia scirrhosa recens nata sunt, partim jam prius affuerunt; periculum vero, quod illinc impendet, inde nimirum oritur, quod parietes solidiore massa fibrosa carcinomatis aperti retinentur (Lotze, allgem. Pathol. 2. Aufl. p. 134).

Eaedem massae sanguinis digesti, ut sursum, ita deorsum expelluntur; obstructio alvi, quae usque eo cum vomitu crebriore magis magisque pertinacior facta est, ut saepe tantum pluribus diebus interjectis massa

durarum et obscurarum faecium exigua egereretur, profluviis largis obscure coloratis foetidissimum odorem praebentibus cedit, ut aegrotus, saepius hydrope adjuncto, hectica febri et universale marasmo opprimatur. Si vero stadium emollitionis non tanta celeritate generali marasmo interficit, crebro etiam tumores carcinomatosi in aliis corporis locis accedunt, quae universum organismum scirrhosa dyscrasia affectum et destructum esse perspicue declarant.

Symptomata, quae eveniunt, si carcinoma sedem in alia qua parietum ventriculi parte fixit, carcinomati pylori persimilia sunt: vomitus modo magis extra ordinem et irregularis, ac rarior; quid quod fieri potest ut plane desit. Deposita carcinomatosa hujus modi, quando luculentam in magnitudinem diffunduntur et magis fundum ventriculi occupant, propter digestionem funditus perturbatam brevi tempore marasmo incidente oppriment; sin contraria conditio locum habet, morbus tardissimo progressu uti poterit.

Raram urinae secretionem jam antea breviter significavimus: quae quidem utique in omnibus exemplis, vulgo ab ineunte morbo ad ejus finem augescente gradu conspicitur.

c. QUAE EXPLORATIONE EXTERNA INVESTIGENTUR.

Per satis diuturnum temporis intervallum symptomata paullo ante adumbrata majori vel minori vehementia possunt locum habuisse, ita quidem ut externa tentatio ne minimam quidem, quae conspicua sit mutationem in normali earum partium functione declaret. Verum serius otius longe plurimis in exemplis tumor erumpit, principio exilis tantum et obscurus, non ita multo post vero sensu perspicuus, quin etiam manu comprehendi potest; cujus sedes aut ad cardiam, igitur sinistra parte infra sternum, aut ad pylorum paullum dextrorsum et supra umbilicum est collocata. Raris modo temporibus, si in alia parte stomachi inhaereat,

extrinsecus exploranti animadverti potest. — Nec tamen tumorem in carcinomate pylori conspicuam usquequaque in normali suo loco quaeri oportet: saepe accidit ut nisi stomachus cum organis circumfusis concretus est tumor delabitur, ut in media corporis linea, in hypogastrio, etiam in fossa iliaca jaceat. Huic vero magnae dislocationi in dignoscendo praesertim gravissimam vim et dignitatem tribuere ob eamque rem illam diligenter et circumspecte considerare attinet. — Magnitudo et figura tumoris valde diversa est: modo enim subrotundus, modo magis in longitudinem diductus, alias aequus et laevis, alias, uti plerumque in fungo medullari externorum plasmatum fieri assolet, inaequalis et gibberosus apparet; magnitudini cum vehementia reliquorum symptomatum recta ratio intercedere solet, eaque interdum tanta evadit, ut tumor integumenta abdominalia protrudat, si praesertim cum vicinis organis est concretus. Istiusmodi concretiones haud raro suppetunt, frequentissime cum jecinore, at etiam cum abdominis tegmento, diaphragmate, pulmone, liene, pancreate et colo. Huic loco praecipue animum attendere convenit, quoniam situs tumoris ea re multis modis immutari potest. Indidem etiam mobilitas tumoris pendet. Quae concretiones, si nullae adsunt, tumor plerumque satis mobilis, ut jam e delapsu in cavum abdominis videre possis, sin contra accidit nullam prae se fert mobilitatem. — Ut carcinoma cardiae suppetere intelligas, specillum oesophageum faucibus immittendum praesto est: quod specillum in loco quem aegrotus significat impedimentum offendit, quod primo etiamnum superare liceat, post vero neutiquam penetrari possit, per se molle ac plerumque satis sensibile; crebro specillo educto sanguis aut sanies inhaeret, atque si ceram ejus fini affixeris, typum comparare possis quo figura coaptationis exprimatur. — Nec vero absurdum est eodem tempore percussione adhibita de situ et extensione ventriculi certiorem fieri. Quod op-

time fit, quando escis vel aqua confertus est; tumque in diversis collocationibus vel sitibus quo aegrotum uti jusseris, satis dilucidam speciem dilatationis recondite tibi fingere possis, quae quantum ad vomitum valeat supra jam exposuimus. —

Neque hoc loco omittendum est, nonnullis in casibus, si tumor aortae impositus est, manui exploranti perspicuam pulsationem sentiri, quae confusionem cum aneurysmatis admitteret, si ea quae e necessaria auscultatione indagantur, non recte attenderes. Neque enim in tumore unquam fere — et si quando utique levissime, quasi sibilum suppressum — strepidum aneurysmatis proprium audias. —

d. DOLOR.

Supra jam explicavimus abnormes in digestionis viis sensus primos imminentis mali praenuncios esse: pyrosin, sensus partis illius sauciae, incommoditas secundum coenam, dolores inter digerendum. Cum igitur morbo longius procedente in cardiae carcinomate deglutitionis molestiae incidant, quae supra jam commemoratae acerrimis doloribus conjungi solent; in pylori carcinomate molestiae primo levissimae in digestione in doloris vehementiam non minus acrem crescunt, qui tamen adhuc intermittentem indolem prae se fert. Sed intermissiones magis magisque breves fiunt atque aliquando plane extinguuntur ut dolor in scirrho cardiae non minus quam in pylori carcinomate continuus permaneat. Cum primo paries stomachi pressionem non senserit, nunc in certo loco acrem sensibilitatem ostendit; maximum dolorem pressio tumoris, si adest, commovet. Ceterum in nullo alio symptomate tot varietates et discrimina, quot in hoc inveniuntur, quae maximam partem ex individualitate aegroti pendent. Ita accidit ut aegroti in quibus scirrhosa stomachi degeneratio altiorem gradum consecuta est, ut secto cadavere videre licet, ad supremum usque diem de paucis

tantum aut nullis omnino doloribus vel appetitus defectu querantur: quales Andral aegrotos magnis ulceribus scirrhosis vexatos observavit. Interdum dolor etiam intermittit, aegrotus saepe per plures dies et hebdomades nihil mali sentit, donec subito novi et acerrimi impetus exardescant. Plerisque tamen casibus dolor percipitur, quem aegroti saepe tanquam corrosionem et ardorem designant, quasi candentium carbonum certo stomachi loco concitatum. Nec raro longius diffunditur: utramque in partem radiatus corpus circumfundit aut ad hypochondria demittitur; nonnunquam sedem in columna vertebrarum figit, longius sublime in scirrho cardiali, in pylorico deorsum usque ad vertebras lumbales pertinet, saepe per totam regionem lumbalem; quid quod usque ad symphysin ossium pubis descendit.— Plerumque, nec tamen semper dolor pressa regione epigastrica augescit, item si profundius spiritum ducas, corpus vehementius commoveas, etiam in incessione, praesertim si ventriculus non concretione cum vicinis partibus fixatus est. —

e. FUNCTIO UNIVERSI ORGANISMI.

Saepius jam celerem virium defatigationem exposuimus, qualis e morbo vitam radicitus evertente pertimescenda est. Cum nutritione corporis maxime manca secretionum defectui recta ratio intercedit, hinc cutis arida et rigida, urina rara ac turbida, exinanitio alvi saepe per dies aliquot retenta.

Vasorum quidem systema morbi parum particeps est: principio atque adeo carcitomatosa depositione jam altius provecta pulsus plane normalem conditionem retinet; auctus frequentiae post coenas et vesperi observatus haud raro etiam in hominibus perfecte integris mirificum in modum deprehenditur. Viribus demum universe defessis pulsus quoque debilis, intermittens, inaequalis evadit, donec aliquando hectica febris cum sudoribus colliquativis et alvi profluviis paullo ante demonstratis exardescat. —

§. II. DECURSUS, COMPLICATIONES, EXITUS.

Decursus carcinomatis ventriculi semper chronicus est, sive per menstrua sive per annua tempora permanet. Scirrhus cardialis plerumque non tantum temporis perseverare solet quantum pyloricus, cum escis a stomacho prohibitis vires aegroti brevi extinguat. Gravissimam causam, cur carcinoma in pylore aliisque ventriculi partibus diutius induret, haud scio an in eo maxime quaerere attineat, quod periodus praecursorum saepe per annos aliquot pertinet, cum symptomata non modo nihil procedant, sed etiam crebro minuantur, idque temporis spatium, si probe consideres, non carcinomati imputari oportet, quando quidem id temporis malum fortasse nihil aliud nisi chronica gastritis est. Verumtamen ratio transitum certo determinandi nos omnis deficit, ideoque utramque affectionem per se sejunctam nos comprehendere convenit.

Diuturnitas scirrhi cum sede tum histologica ejus indole nititur. Perdiu scirrhus consistere potest, qui et tardo auctu et lenta emollitione a carcinomate areolari et vehementius etiam a fungo medullari differt, cujus extremi vis praecipue ingenti progressus celeritate et cito in emollitionem transitu pestifera apparet.

In eorum morborum numero, qui haud raro cum carcinomate copulantur vel potius inde proficiscuntur, praeter tumores aliorum organorum nunquam fere deficientes carcinomatosos (§. 3.) imprimis icterus et hydrops digni videntur quorum mentio fiat. Quorum ille aut inde nascitur, quod pseudoplasma pressu jecoris functiones impedit, aut eo, quod ipsum jecur in morbi processum trahitur; tamen saepe utrumque ita usuvenit, ut nullum inde icterum oriri videamus, etiamsi e subflava et cutis et scleroticae specie hepatis affectionem suspicari licet.

Hydrops carcinomati sub variis formis associatur: ut oedema extremitatum, praesertim inferiorum, ut

anasarca, ascites, hydrops universalis, plerumque postea demum quam primaria affectio longius processit. Aut localem causam habet, quippe e pressione natus quam tumor scirrhosus in venam cavam aut in hepar exercet, aut universalem, cum crebro et hydraemiam dyscrasia carcinomatosa procreatam consequatur.

Auctore cl. Rokitansky juxta scirrhosam dyscrasiam haud raro crasis fibrinosa illinc exorta occurrit atque efficit ut carcinoma combinetur cum inflammationibus, imprimis cum pneumonia et pericarditide quarum exsudata colore opaca et alba, natura laxa, molli, fungo medullari simili excellunt celeriterque carcinomatosam degenerationem perpetiuntur. — Peritonitin partialem in scirrho ventriculi interdum occurrentem facilius credo locali irritatione quam propria sanguinis crasi interpretari licet.

Omnes carcinomatis ventriculi formas medici adhuc lethali exitu finiri viderunt: iis videlicet casibus ubi homines inde convalescentes observati esse dicuntur, nihil sane momenti tribuendum est, cum, ut infra intelligemus, initia carcinomatis ab aliis stomachi affectionibus nunquam certo dijudicare possimus. Scirrho ventriculi perspicue expresso nunquam adhuc homines convaluisse observatum est; doctissimus tantum Engel contendit, ulcera carcinomatosa in ventriculo depulsa massa scirrhosa interdum cicatricari. Cicatrix autem ita spontaneam sanationem efficiens cum margines ulceris non inter se appropinquent, inaequalis, multum depressa, ad basin callosa esse dicitur; circumfusa membrana mucosa radiatim contracta, induratione et decoloratione caret. Membrana muscularis subjecta degenerata, peritoneum cum vicinis organis concretum est. Num vero ejusmodi sanatio jam aliquando re vera locum habuerit, in integro relinquamus.

Mors e carcinomate ventriculi valde diverso modo incidere potest:

Interdum accidit ut neoplasma antequam meta-

morphosin ineat, aperturas ventriculi, persaepe cardiam tam anguste claudat ut eo omnis escae inductio prohibeatur; quid quod coartatio ne liquoribus quidem jam aditum concedit, ut aegrotum acerrima fame et siti cruciatum horribili malo succumbere oporteat. Verum ne si qua alimenta quidem immitti queunt ea ad vitam sustentandam sufficiant, si praesertim, ut plerumque fit cito evomitur, aut si carcinoma aliquam partem parietum stomachi obtinet ut aegrotus ita quoque marasmo conficiatur.

Longe pluribus tamen casibus, praesertim in scirrho pylorico aut parietibus ventriculi carcinomatose degeneratis, neoplasma, sive scirrhus sive fungus medullaris sive carcinoma alveolare est, in emollitionem transit atque aut marasmo aut sanguine profuso hominem opprimit aut denique perforatione. Indoles carcinomatis molliti vel aperti, qua propagetur et regeneretur, circumjectis partibus et universo organismo jacturam faciente, propter celeritatem qua id accidit causam praebet, cur aegroti mira cleritate viribus defatigentur in easque conditiones incidant quibus nomen est anaemiae et hydraemiae. Quibuscum ut simili in omnibus morbis defatigantibus fere videmus, facile hydrops aut hectica febris conjungitur, plerumque sudoribus colliquativis et profluviis alvi comitata cito nimirum mortem concitat.

Sanguinationum duae variae causae esse queunt. Aut enim carcinomate emollito parietes vasorum ventriculi sanie corrosiva destructi aut in neoplasmate vasa copiosa nata sunt (fungus haematodes). Utrobique mors una haemorrhagia maturari potest; etsi saepe etiam iteratae sanguinationes incidunt, quibus aegrotus ad mortem usque conficitur.

Perforatio ventriculi perraro occurrit si carcinoma cum ulcere ventriculi perforante rotundo complicatum est ac semper hominem opprimit brevissimo tempore

peritonitide gangraenosa quae contento ventriculi irritante in peritoneo generatur.

Interdum mors etiam inflammationibus acceleratur quas in numero complicationum commemoravimus, iste tamen exitus dubito an omnium rarissimus sit.

§. III. NECROSCOPIA.

Cadaver hominis carcinomate ventriculi confecti summum maciei gradum aut intumescentias hydropicas exhibet, quae vel ad inferiores tantum extremitates vel etiam ad faciem pertinent; saepe ascites, hydrothorax, hydrops universalis inveniuntur. Cutis lutulente e cinereo flavescens, paucis et pallidis livoribus feralibus distincta, flacca tenuis et arida; epidermis desquamatur. In regione epigastrica aut stomacho dislocato aliis abdominis locis haud raro jam extrinsecus tumor tegmenta abdominalia propellens conspicitur.

Apertis abdominis cavitatibus figura ventriculi pro sede vel extensione scirrhosae degenerationis plus minus mutata nec raro cum vicinis partibus concreta invenitur. In carcinomate cardiae ventriculus vulgo collapsus propter completum actionis defectum, cum oesophagus extensionem saepe maximam praebeat, si, ut plerumque fit, primarie carcinomate correptus est. Similem extensionem ventriculi iisdemque causis natam in pylori carcinomate videmus: qui saepe mirum in modum escis dilatatur quibus via per pylori ostium interclusa est. Cum diuturniore earum in ventriculo mora hypertrophia membranae muscularis conjuncta est quam probe a scirrhoso deposito discerni convenit; eodem tempore paralysis accedit, quapropter escae saepe pluribus diebus in stomacho commorantur priusquam vomitu repellantur. — Vulgo ventriculus in normali situ concretionibus retinetur, quae ad cardiam

creberrime cum abdominis tegmentis, ad pylorum autem cum hepate fiunt et cum pancreate, in magna curvatura cum liene. Quodsi pylorus quod interdum accidit non degeneratione partium retro sitarum fixatur, propter augescentem gravitatem in profundiorem abdominis regionem vel adeo ad symphysin deprimitur, ubi tanquam tumor durus nec dimobilis sentiri potest. Ea conditio, quamvis rara, ad errores in diagnosi vitandos maximi est momenti. Accedit quod pylorus vulgo inaequali concrassatione et partiali corrurgatione varie curvatus et inversus reperitur.

Carcinoma in ventriculo sub iisdem formis apparet, quibus in ceteris omnibus plasmatis: ut scirrhus, fungus medullaris, carcinoma alveolare, pro ratione, quae inter elementa neoplasma componentia intercedit. Omnis tumor crancrosus tribus praecipue ex elementis radicalibus constat: e fibris, cellulis et amorpha substantia principali. Fibrae telam retiformem efficiunt, quae quasi stroma totius massae repraesentat; pertinent autem ad telam cellulosam ejusque varios evolutionis gradus exhibent. In humillimo gradu cellulae sunt fusiformes in utroque fine acutae, in quibus etiamnum nucleus dignosci potest; porro in veras fibras telae conjunctivae rediguntur, quo in numero etiam fibrae elasticae sive nucleares occurrunt. — Solum elementum characteristicum ideoque präecipuum carcinomatis cellulae efficiunt, quae cum substantia principali postea commemoranda evolvuntur. Primo plane rotundae, lucidae, membrana tenui structurae experti, perspicua, cinctae apparent: intus unus vel plures nuclei delitescunt magni, plerumque granulati, argutis lineamentis praediti; postea contentum cellulae turbidum fit, membrana mire concrassatur, in nucleo unus vel duo magni et nitidi nucleoli conspiciuntur. Simul cellula formam varie mutat: caudata vel ramificata fit vel lineamentum gibbosum nanciscitur. Una cellula

saepe multas alias gignit, tumque luculentam in magnitudinem crescit, usque ad $^1/_{10}$''' diametrum.

Amorpha substantia principalis carcinomatis nihil a cytoblastematis aliarum formationum differt; constat e sero et nucleis, ex quibus postea cellulae proficiscuntur. Insuper in ea corpuscula adiposa et crystalli cholestearini reperiuntur.

Evolutio carcinomatis ita consequitur, ut blastema fluidum et informe aut symptomatis inflammationis plus minus perspicuis aut plane obscure e sanguine deponatur; in eo nuclei ovales vel subrotundi, vulgo magni apparent qui in cellulas commutantur, quarum naturam jam cognovimus. Origo nucleorum adhuc ignota est, tamen Virchow non dubitat quin vesiculae sint.

Semper e cellulis emollitio proficiscitur qui processus serius otius hominem interimit. In qua cellulae nullius jam evolutionis participes dilabuntur et granulosum detritum efficiunt, in quo singulas adhuc mutatas cellulas, granula molecularia aliaque carcinosi blastematis elementa discernere licet. Necessario e celeri cellularum regeneratione et vicinarum partium destructione efficitur ut aegrotus cito defatigetur et morte opprimatur.

Scirrhus ea carcinomatis species est, quae praevalente telae cellulosae evolutione gignitur semperque a submucoso textu celluloso ventriculi proficiscitur. Cum in scirrho fibrae ceteris carcinomatis elementis longe praeponderent, miram consistentiam et soliditatem ostendit, interdum etiam duritiem cartilagineam. In eo duplicem propagationis modum nanciscimur: aut magis in superficie diffunditur magnamque parietis ventriculi partem occupat, aut minore spatio coërcetur contraque supra superficiem gibbosis protuberantiis se effert. Tela cellulosa quae ejus fundum efficit, in massam resistentem, languide albidam, fibrose lardosam degeneratur et cum membranis mucosa et musculari conflatur. Haec mutationem suscipit scirrhi propriam

et ad discrimen a simplici membranarum hypertrophia gravissimam: ruborem exuit et in telam aequaliter crassam, pallide e flavo rubescentem, substantia leviter perlucente comfertam mutatur. Cum hac re tum massae auctu telae cellulosae submucosae, qui eodem tempore inaequalis incidit, mira duritie et confusione cum membrana mucosa carcinoma ab hypertrophia membranarum ventriculi differt. Degeneratio membranae mucosae aut naturam cancri alveolaris induit et magnam copiam fluidi mucosi, gelatinosi secernit; aut in evolutione telae erectilis constat, quae sedes encephaloidis infiltrationis fit et luxuriantias fungosas gignit, quae aliqua ex parte in saniem rediguntur atque a degenerata substantia cellulosa depelluntur. Saepissime vero mollescit et pultem subatram, sanguineam efficit, ut tela cellulosa submocosa degenerata, aut tantum membrana tenui et subatra investita, aut prorsus nuda, raris dispersis nigris vasorum glomeribus praedita appareat. Scirrhus ipse postquam membrana mucosa spoliatus est, aut per ampliores regiones, aut quod plerumque fieri solet, singulis rotundis minutisque locis sedem destructioni gangraenosae praebet, qua ejus tela strui similiter exfoliatur. In eo auctis cellis fungus medullaris vel haematodes nascitur, quo in saniem redacto ulcus carcinomatosum margine aggeris instar prominente, lardose medullari generatur.

Fungus medullaris a scirrho cellularum copia differt; fibrae nonnunquam plane desunt aut leve tantum stroma ceteris elementis praebent. Saepe vasa creberrima et maxima inveniuntur (fungus haematodes), vel depositiones cellarum pigmentiferarum. Consistentia fungi medullaris mirifice variatur, interdum semiliquidus est, plerumque mollitie recentis cerebri; tamen lardosa quoque vel adeo cartilaginea indoles occurrit; color albus, subruber, e cinereo rubescens, obscurus, prout vasorum evolutio et pigmenti depositum minus vel magis est. In ventriculo duplici modo occurrit:

aut tela cellulosa submucosa aut membrana mucosa in erectilem telam degenerata eo afficitur. In tela cellulosa submucosa crebro tanquam infiltratum per majora spatia propagatur tumque massae lardose medullaris modica crassitudine speciem praebet; plerumque tamen tumores nodosos gignit quae saepe miram magnitudinem consequuntur. In erectili membranae mucosae tela tanquam mollis vel adeo liquida infiltratio medullaris, lacti haud dissimilis occurrit. Haec carcinomatis species ad magnam propagationem et celerem dissolutionem prona, praecipue profusis sanguinationibus celerrime mortem affert.

Cancer alveolaris sive areolaris stroma praebet e tela cellulosa natum et retiforme, in quo massa scirrhosa deposita est. Parietes alveolorum nitido albore sunt contentum eorum lividum vel in cineream speciem, micans, perspicuum et consistentia gelatinosa. Hoc carcinoma raro e strato telae cellulosae submucoso oritur, saepius in scirrho e membrana mucosa eum obducente et frequenter vastam magnitudinem assequitur.

Vulgaris carcinomatis e tela cellulosa submucosa evolutio efficit ut haud raro cavum stomachi, praecipue in scirrho, coangustetur. Carcinoma in alias canalis digestionis partes tantum ex inferna parte sursum propagari videtur; quam ob rem scirrhus cardiae in oesophagum, pyloricus, qui frequentissimus est, nunquam in duodenum, crebro in ventriculum ipsum, et plerumque in minore carvatura transit. Interdum totus ventriculus exigua fundi parte excepta degenerat tumque parietibus valde concrassatis, duris, secundum internam superficiem inaequalibus et gibberosis apparet.

Raro evolutum ventriculi carcinoma solum invenitur: Vulgo fit ut scirrhosa degeneratio primo in caput pancreatis et glandulas lymphaticas quibus ductus choledochus circumdatur, at etiam in ipsum pancreas, glandulas plexus lumbalis et omenti, hepar, lienem etc. propagetur; quid quod interdum tota posterior et inferna

peritonei superficies scirrhosis degenerationibus tuberculorum forma consita videretur. — Haud rara et concretionibus praegressis adjuta est propagatio carcinomatosi ulceris in finitimas partes, in intestina, praecipue colon transversum, in jecur et pancreas; nonnunquam adeo tegmenta abdominis extrorsum perforantur. —

§. IV. DIAGNOSIS.

Generatim diagnosis carcinomate provecto haud ardua est: miséra et macra aegroti species in nullo simili ventriculi aliarumve abdominis partium morbo ita eminens, vomitus, dolor, imprimis tumor extrinsecus sensibilis, interdum etiam adspectabilis satis certa momenta praebent. Cum aliis stomachi malis carcinoma igitur sane confundi nequit; constat autem affectiones finitimorum organorum haud raro symptomata efferre primario ventriculi morbo simillima. Itaque ante omnia certiorem fieri attinet, re vera ventriculi affectionem exstare, quam ob causam percussione hepatis et lienis functionem quantum fieri potest accurate cognosci oportet.

Carcinoma hepatis, ubi primarie in jecore natum est, facile a stomachi distinguitur. In illo quamquam et ipso molestiae digestionis supra allatae animadvertuntur, dolor tamen magis dextro lateri insidet, sublimius quam in pylorico eoque plerumque excellit quod dextrum versus humerum sublime sympathice diffusum est. Nonnumquam ductibus biliferis compressis icterus nascitur, qui sane stomachi carcinoma comitari potest. Postea idem etiam vomitus obscurarum massarum incidit et species aegroti, conditio universi organismi eadem quae in scirrho ventriculi apparet. Certa momenta solummodo sedes tumoris et amplificatio jecinoris certe plerisque casibus praesens, qualis palpatione et percussione declaratur, videri possunt; ea tamen ipsa

symptomata dubia redduntur, si ad sinistrum hepatis lobum pertinent. Notandum scilicet est jecoris tumorem situ sublime et infra mutato in exspirando et inspirando dignosci posse. Quodsi stomachus cum hepate concretus est, certa diagnosis fieri nulla potest, nisi in massa vomita hepatis propria elementa microscopice deprehendi queant.

Calculi biliosi, qui in ductibus biliferis, hepatico, cystico, choledocho, in vesica fellea inveniuntur, similes ut carcinoma ventriculi casus creare possunt. Hinc interdum chronica digestionis molestia, appetitus jactura, nauseae, vomituritio et verus vomitus, faecium retentio, icterus, et dolores exardescunt in dextro hypochondrio, ubi nonnunquam simul tumor animadvertitur. Quae symptomata saepe acerrimam naturam prae se ferunt: dolores rumpentes ab inferno jecoris ambitu umbilicum versus radiati, nausea, vomitus, plerumque duabus tribusve horis post coenam, pertinax alvi obstructio cum intermissionibus per plures hebdomades durant. Quamvis autem nonnulla eorum symptomatum similia sunt, tamen colica biliosa haud facile cum carcinomate stomachi confundi potest. Ut omittamus eam plerumque acutissimam exsistere, vomitu quoque magis bilioso, faecibus semper fere pigmento privatis et calculis biliosis interdum excedentibus differt.

Hypertrophia lienis, ut scirrhus ventriculi, aliquot in casibus haud leves digestionis molestias gignit: pressum et plenitudinem magis sinistrum versus hypchondrium, nausea, haud raro vomitum (cruentum), inclinationem ad obstructionem. Plerisque tamen in casibus palpatio et percussio, quibus volumen lienis auctum demonstratur, molestiae gastricae minores et universa organismi conditio certa momenta praebent diagnoseos ita modo perdifficilis, si ventriculus perferatus et cum liene concretus fuit, tamen Virchow ejusmodi casum e febris muscularibus lieni propriis in vomito repertis dignoscere valuit.

Raro tantum carcinoma ventriculi cum intestinorum confundi potest, ubi hoc in duodeno, igitur in proxima intestinorum ventriculi parte insidet aut ventriculus cum parte degenerata decidit. Hoc loco, ubi sedem carcinomatis in parte intestinorum a stomacho remota esse oporteret, praecipue sanguinis et muci secessiones post pertinacem obstructionem subinde exsistentes ad diagnosin valde pertinent, quae extremo morbi stadio propter faecium vomitum omni dubio eximitur.

In morbis stomachi qui confusionem cum carcinomate ventriculi excitare queunt, imprimis gastritis chronica mentione digna est, qui morbus symptomatum similitudine vel egregie expertis medicis errores objicere potest. Imo haud scio an multifariam diagnosis nulla fieri queat, cum non sine causa credamus carcinoma ventriculi crebro e gastritide chronica nasci, ut nimirum transitus alius affectionis in aliam non possit investigari. — Qua igitur debiliora discernendi momenta sunt, eo diligentius medicum, si qua apparent, ea indagare et exigere oportet. Fortasse vero ad dignoscendos illos morbos haec fere symptomata praeceteris respicienda sunt: Externus aegroti habitus. Negari nequit chronica gastritide totum organismum vehementius solito affici, quique eo vexantur, pallidum faciei colorem, genas collapsas, oculos penitus recedentes praebent, vegrandi macie correpti, debiles, animo depressi sunt; at habitus proprie carcinomatosus, qualem supra (§. I, a.) adumbravimus, nunquam fere in iis reperitur. Saepe chronicam gastritin cutis eruptiones diversis formis comitantur. — Vomitus in chronica gastritide minus tempore post coenam coërceri, sed potius aliis quoque temporibus et frequentius quidem celeriusque incidere dicitur, quam in carcinomate. Etiam appetitus jactura sitisque ăcriores esse traduntur. — Dolor magis continuus esse solet cum in carcinomate primo post coenam tantum commoveatur. — Aetas aegroti. Chronica gastritis

nulli vitae aetati parcit, carcinoma autem plerumque nonnisi homines mediam vitae aetatem egressos afficere consuevit. Sin durities in epigastrica regione sentitur, gastritidis chronicae, quae nunquam eam gignit, cogitatio excluditur. — Broussais ut symptoma mentione digna et ineunte gastritide chronica frequens tussin quae dicitur stomachalem effert, qui vulgo aliquot horis post coenam movetur, vehemens et spasmodica; ea quidem acri contentione paullum muci tenacis ejicitur ac saepe tussis crebra eructatione finitur.

Stenoses foraminum ventriculi ineuntes symptomata prorsus carcinomatis ventriculi exhibent et pro sede quidem cardialis aut pylorici, sed momentum diagnoseos exhibent defectus dolorum in ventriculi carcinomate tam acrium, decessus sanguinis et singularis illius massae caseosae, denique species aegroti externa, qui quantumvis macescat, nullum habitum carcinomatosum induat.

§. V. AETIOLOGIA.

Quemadmodum prima carcinomatis initia, ita ejus causae nobis adhuc occultae delitescunt.

Raro morbus in homine 40. annis minore, saepissime inter annos 60. et 70. ardescit, praecipue in viris, quam rem perscrutationes ill. Barras, qui in 20 carcinomate laborantibus 4 tantum mulieres vidit, aliorumque usus comprobant. Fuchs (spec. Nosologie u. Therapie) refert carcinoma cardiae saepius in mulieribus, pylori praecipue in viris animadversum esse.

Nondum plane constat hereditaria ad carcinoma ventriculi dispositio adesse queat necne; fieri sane potest, ut dyscrasia carcinomatosa generatim hereditate propagetur, quod quidem pluribus casibus carcinomatis ventriculi in una familia observatis probari videtur. Tamen in integro relinquere attinet, an non

fortasse debilitas ipsa a parentibus dyscrasia laborantibus in liberos propagatta sufficere videatur ut carcinomatis praedispositio gignatur. — Aliae quoque dyscrasiae praedispositionem ad carcinoma ventriculi exhibere insimulantur, imprimis arthritis et haemorrhois, quae cum stagnationibus in systemate venae portarum cohaerent, tum scrofulosis, psora, syphilis, myxiosis.

Nonnullis in regionibus carcinoma ventriculi endemicum esse fertur, nec prorsus negandum est, tum ineptum victum causam frequentiae hujus morbi suppeditare.

Omnino dubito an plerumque abusus ciborum et potionum gravissimam carcinomatis ventriculi causam praebeat, et si qui frequentiam eius queruntur, nobis contra in hac ratione vivendi mirandum videtur, quod non crebrius observetur. In ciborum numero temere opinor eos qui difficiles digestu vocantur, veluti fabae, pisa, bulbi solani tuberosae similiaque, carcinoma ventriculi adiuvare crediderunt, cum ad summum immodico vel exclusivo usu obesse queant, aliis gravibus causis cooperantibus; e contrario illas res minus in suspicionem vocaverunt, quae cum medicamentorum vice fungi deberent, in usum quotidianum introductae stomachum in statu chronicae irritationis simulque debilitatis collocant. Quo in numero praecipue referenda sunt alienarum terrarum condimenta: Piper, radix zingiberis, cortex cinnamomi, nux moschata, macis, semina cardamomi. caryophylli aromatici, vanilla etc. Eae omnes materiae pro copia qua in stomachum perveniunt, ut lenia aut fortia irritantia vim exserunt; quin etiam hyperaemiam exsudativam et inflammationem concitant. Eorum igitur usu variarum conturbationum, catarrhi chronici, indigestionis, inflammationis etc. causa suppeditatur, quibus e conditionibus carcinoma ventriculi nasci posse veri simile est. Pla-

cet hic notare, quantum detrimenti istae substantiae indoctis vel circumforaneis pharmacopolis utentibus tanquam domestica quae vocantur remedia afferre soleant, cum promiscue diversissimis malis, gastralgiae, catarrho, gastritidi chronicae, ubi prosus contraindicatae sunt, adhibeantur. Bene coniici potest, his quoque rebus fontem ad gignendum carcinoma ventriculi datum esse. Nec vero solum imperitorum, sed etiam medicorum therapia multifariam pestifera fit, praecipue emeticis drasticisque purgantibus in irritationibus ventriculi, quae communi dyspepsiae nomine complecti attinet, incaute ac temere adhibitis.

Idem de nonnullis potionibus statuendum est: de infusis fabae coffeae et theae, si nimiae consumuntur, imprimis vero de spirituosis. Quo in numero aqua vitae quae dicitur prae ceteris abusu saepenumero causam carcinomatis ventriculi praebet.

Accedunt affectus psychici, praesertim quibus animus deprimitur, veluti moeror, aerumna, continua animi irritatio, quas etiam digestionem perturbare constat, quaeque ideo multum ad carcinoma ventriculi excitandum valent, ut inde apparet, quod reipublicae Francogallorum in revolutione frequentissime animadversum est.

In morbis ex quibus ventriculi carcinoma nasci potest ante omnia gastritis chronica est nominanda; quae quemadmodum ad illud gignendum valeat, quamquam argumentis probari nequit, maxime tamen verisimile fit congruentibus symptomatis, quae in gastritide chronica et ineunte ventriculi carcinomate reperiuntur. Porro vomitus habitualis eique coniuncta membranae muscularis ventriculi hypertrophia causam carcinomatis ventriculi gignere posse traditur.

Neuralgiam ventriculi sive gastrodyniam carcinoma ventriculi generare posse multi negaverunt, cum praecipue afferrent illum morbum in mulieribus fre-

quentissimum, carcinoma ventriculi perrarum occurrere. De huius rationis vi dubitare ausim duabus de causis: Primum gravissima auctoritate nixus ill. Romberg, qui hyperaesthesiam plexus solaris haud rarum carcinomatis ventriculi praecursorem habet (Lehrb. d. Nervenkrankh. Bd. I. Abth. 1. p. 149), deinde hunc casum mihi ipsi observatum afferre in promptu est:

L. Schmidt, senex 64 annorum, multis et gravissimis affectionibus vexatus erat. Annos 14 natus hernia inguinali in dextro latere correptus est, miles sinistro in oculo acrem ophthalmiam habuit, ex qua adhuc magnum corneae leucoma exhibebat; postea scarlatina ex eaque oedemate inferiorum extremitatum cito transeunte est affectus. Annos natus 28, fortasse otitide interna, perforationem membranae tympani dextra parte habuit, triennio priusquam mortem obiit, sinistra quoque auris e casu valde laborabat. Ad herniam inguinalem dextram postea sinistra et hydrocele duplex accessit. — Gravissima vero affectio eum 30 annos natum, ut ipse ferebat ex acri animi irritatione corripuerat: neuralgia, quae eum per plures hebdomades, duos vel tres menses cruciabat et cum intermissionibus ad summum trium mensium alterna erat. Dolor inter scrobiculum cordis et umbilici regionem incepit et modica vehementia horam prope perseverabat; tum vero in dextrum hypochondrium tractus mox ad symphysin ossium pubis, alias ad vertebras lumbales mira vi propagatus horam ardere solebat; tum levabatur ut aegrotus in somnum incideret, ex quo semihora interiecta incolumis expergiscebatur. Impetus ter quaterve quotidie redibat, cibis nihil immutabatur, vomitus nunquam accedebat. Diuturnis neuralgiae intermissionibus semper vehemens tussis erumpebat. Remedia nihil ulla proficiebant, donec malum triennio abhinc sua sponte extinctum est neque unquam revertit. Tribus modo mensibus ante mortem

aegrotus aliquot dies de acri dolore in cibis solidis vescendis querebatur, qui a stomacho celeriter in symphysin ossium pubis descendit ibique magna vehementia brevius vel longius tempus perstitit. — Quatuor fere hebdomadibus ante mortem aegrotus in vertebras lumbales cecidit ibique ex eo tempore dolorem mirae vehementiae sentiebat, qui omnem quietem eripuit, remediis pertinaciter restitit et modo presso loco affecto levatus est. Extremis diebus aegrotus acribus respirationis angustiis, appetitus defectu, vehementi siti laborabat; gustatus taediosus, lingua pura, ad radicem tantum subflava erat; primum quodque frustum in vescendo dolorem in stomacho commovebat, tamen aegrotus omnis generis cibos perferebat; alvi egestio erat normalis. —

Sectio haec declaravit: corpus non immodice macrum, cerebrum atrophicum, parvo meningum oedemate, pulmones valde pigmentati, collapsi, aridi, molles, nulla elasticitate; in saccis pleurae aliquantum seri, cor languidissimum. — In postico stomachi pariete secundum curvaturam minorem scirrhosa membranarum ventriculi degeneratio manus magnitudine, $^3/_4$″ crassa, basi dura, fibrosa, superficie molli, callosa, ulcere magis pylorum versus sito circa 1″ diametri. Contentum ventriculi et intestinorum perobscurum, ut conjicere possis, haemorrhagia ex ulcere mortem concitatam esse. — Jecur et renes normalia, lien mollissimus. — Hoc in casu recte originem carcinomatis e neuralgia repetere possis; nec tamen silendum est, aegrotum ad septimum usque annum ante mortem caecis haemorrhoidibus laborasse. —

Postremo externa causa dicenda est perpetua pressio partim continua compresso abdomine sessione effecta, partim instrumentis, quibus operarii veluti sutores et textores utuntur: dubitari nequit quin haec vis maxime pestifera sit. —

§. VI. CURA.

Cum supra insanabile ventriculi carcinoma esse contenderim, temerarium credo curam therapeuticam ad radicalem sanationem dirigere; quam rem Schmidtmüller, Holer, aliique praeceperunt. Contra egregium prophylacticum notandum videtur, magna in vescendo et bibendo moderatio et simplicitas.

Cura duabus ex indicationibus pendet: ut causae removeantur vitae quam maxime sustentandae gratia, utque intolerabiles aegroti cruciatus subleventur. Illius rei causa omnis externa in stomachum pressio removenda est, si qua affuit, aegrotum quam maxime exhilarari et in salubri regione versari oportet. Dyscrasia si qua est, eam respecta stomachi affectione tollere attinet. Quodsi ut plerumque diagnosis non plane certa est, in remediorum internorum usu maxima cautio requiritur, praesertim si dyspepsiae quae videtur emetica et drastica adhibeas, cum iis evolutio carcinomatis valde inaugescere queat. Itaque ut utrique indicationi satisfiat, sola apta diaeta adhibenda est, quae nec stomachum irritat et vires aegroti sustinet. Conditi cibi et potus, spirituosa praesertim evitari oportet, aegrotum omnibus alimentis digestu difficilibus, si potest, abstinere attinet; at ius e carne decoctum, albus panis modicus, vitellus ovi, praecipue lac egregia sunt quibus et stomachus minime oneratur et aegrotus optime conservatur. Simul lac et egregie nutrit et sitim explet, ad quam aegroto ceteroquin aqua tantum conceditur. Si nutritio per os conclusione cardiae, quae ne specillum quidem induci sinit, aut continuo vomitu impeditur, ad clysmata nutrientia confugiendum est ex iisdem alimentis parata; item balneae e nutrientibus paratae adhiberi queunt, quanquam nec balneis nec clysmatis vita diu sustentari potest.

Ut secundae indicationi satisfiat, symptomatica actione utendum est. Ad acidum morbo ineunte tollendum antacidis uti licet, caute tamen ut eorum mala vis in stomachum evitetur. Melius tentandum est, pota gelida aqua, praecipue horis matutinis, pyrosin tollere, quo simul aquae vomitioni obsistitur. — Tanta opera est ut dolor narcoticis, Belladonna, cicuta, acido hydrocyanico et externis irritamentis, unguento resinae pini, tartari stibiati, emplastro sinapis etc. levetur. Clysma ad alvi egestionem servandam internis remediis praeferendum est; sin his uti velis, leniora, optime oleum Ricini adhibere praestat. Ad acrem sitim explendam nihil aliud nisi aqua, lac vel mucosae decoctiones aegroto concedantur. — Multi ineunte praesertim morbo, vel si tumor jam extrinsecus sentitur nec aegrotus amplius cibos perfert, rationem antiphlogisticam laudant: hirudines et cucurbitas iteratas, infrictionis unguenti hydrargyri cinerei, tepida cataplasmata, moxas; fonticulos. Si morbum a chronica gastritide discernere nequeas nec contraindicationes ullae obsistunt, istam actionem aliquid proficere posse credo; modo caveatur ne vires aegroti jam per se cito absumptae, nimio remediorum istorum usu frangantur.

Ad vomitum moderandum potio Riverii vel pulvis aërophorus, opium parvis dosibus, extractum belladonnae, circutae, hyoscyami, strammonii detur; sin vehementia crescit aut sanguis profunditur, tentari oportet, quid pilulae glaciei, frigida cataplasmata, etiam plumbum aceticum proficiant; Autenrieth argentum nitricum (gr. j. in Aqu. dest. ℥ vj.) commendat.

Quodsi extremo morbi stadio defessas aegroti vires praeter alimenta medicamentis sublevare velis, amaris aromaticis, aethere, dulci vino parvis dosibus uti juvat. Reliquus totus medicamentorum exercitus, quem acie instructa in carcinoma ventriculi impetum facere jubent, quo in numero referuntur Kalia, Anti-

monialia, aquae minerales (Ems, Karlsbad, Marienbad, Eger, Kissingen, Vichy, Plombières etc.), emplastrum mercuriale, unguentum Kali jodati, perspicue declarat, nihil quidquam eorum ullum proficere et hostem, qui imminet, acerrimum invictumque frustra impugnari.

Vita.

Henricus Gustavus Dobberkau Novae Molae, villa quadam haud procul a Gardelegen Palaeomarchiae oppidulo die XI. mensis Augusti a. h. s. XXVIII patre Joanne Andrea, matre Friderica Luisa e gente Vorhauer, quos adhuc vivos veneror, natus et confessione evangelico addictus sum. Anno h. s. XLIII. gymnasium Stendaliense adii, unde maturitatis testimonio dimissus Halis verno tempore anni XLIX. in numerum academicorum civium receptus sum. Biennio interjecto academiam Berolinensem adii, ubi unum annum commoratus Halas reverti, ut legitimum studii medici tempus expleretur.

Per quadriennium hisce interfui scholis:

Ill. Erdmann de logica et psychologia. Ill. Schweiger de physica. Ill. Germar de mineralogia. Ill. de Schlechtendal de botanice. Jll. Burmeister de zoologia. Ill. d'Alton de anatomia cuncta descriptiva, de histologia, de arte cadavera rite secandi. Beat. Steinberg de chemia anorganica. Beat. Marchand de chemia organica. Beat. Friedlaender de encyclopaedia et methodologia medicinae et de pharmocologia. Ill. Volkmann de physiologia et generatione. Ill. Mueller de anatomia comparata et pathologica. Ill. Casper de medicina forensi et de arte formulas rite concinnandi.

Ill. Romberg de pathologia et therapia speciali. Ill. Juengken de chirurgia. Ill. Ideler de diaetetice et psychiatria. Ill. Mitscherlich de pharmacia. Ill. Credé de arte obstetricia. Ill. Ebert de auscultatione et percussione. Ill. de Baerensprung de pathologia et therapia generali. Ill. Blasius de akiurgia, de fracturis et luxationibus, de fasciis et instrumentorum apparatu. Ill. Reil de historia medicinae.

Scholis clinicis interfui medicis apud Ill. Krukenberg; chirurgicis apud Ill. Blasius; obstetriciis apud Ill. Hohl.

Quibus omnibus viris gratias quam possum maximas ago semperque habebo.

Theses.

I.

Carcinoma ventriculi nonnunquam e neuralgia exoritur.

II.

In typho abdominali externa aquae frigidae applicatio ceteris omnibus medicamentis anteponenda est.

III.

Diaetetice inter omnes medicinae disciplinas primum tenet locum.
